

TABVLA RECITATIONVM

IN
ACADEMIA LVDOVICIANA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A DIE XIV. APRIL.

CIDICCLXXVII.

INCHOANDARVM.

RECTOR

ACADEMIAE LVDOVICIANAE

D. LVD. IVL. FRID. HOEPFNER

CVM SENATV.

In Oda tertia libri primi carminum Flacci fratres illi Helenae, *Commilitones aestumatissimi, lucida sidera* cur appellentur, dubitandi aliqua ratio vix adesse videtur, quippe quae fulgore quodam peculiari exsplendescant. Attamen, *Baxterus* assentiente, *Gesnero* nostro lucem eorum tristitiae Hyadum, quae versu decimo quarto commemorantur, oppositam, figuramque illam rhetoricam, quam Epexegetin vocant, innuente vetere Scholiaste a poeta Venusino usurpatam censuit. Sidera scilicet nautis amicissima laetitiam atque hilaritatem quandam afferre, fugatis nubibus lucem multis votis expetitam reddere, quippe quae simulac desperantibus nautis refulserunt,

Defluit saxis agitatus humor,

Concidunt venti fugiuntque nubes

Et minax, quod sic voluere, ponto

Vnda recumbit.

quae nauigantem tutum per Aequos tumultus ferre possunt, interpretes illi celeberrimi contenderunt. Quod si boni interpretis est, vim illam atque significationem verborum, quae in promptu est, praeferre remotiori atque figuratae, odisse emphases illas, quae verbis autorum veterum, inprimis poetarum, pondus aliquod addat prorsus ipsis ignotum: profecto superfedere possumus sensu illo doctiore, quo *lux* felicitati, spei, laetitiae comparatur. Quamquam enim sidera omnia *luceant*, hoc tamen loco inter epitheta otiosa, quae optimus quisque poeta fugienda sibi esse arbitratus est, minime referendum puto illud, quo gemina Castoris atque Pollucis lumina *lucida* vocantur. *Clarum* enim idem Tyndaridae sidus (Carminum Libr. IV. 8. v. 31.) ob eximium splendorem appellauit. --- Quibus praemissis, addenda pro more essent cohortamenta, quae Vestram, *Commilitones honoratissimi*, industriam atque discendi feruorem denuo excitent: verum tales Vos cognouimus, vt ipsae illae scientiae, quas docendas & illustrandas obtulimus, grauitate & suauitate sua Vos alliciant teneantque, vtque multorum verborum ambagibus superfedere possimus.

LECTIO-



LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IO. HERMANNVS BENNER, *Acad. Senior.* Historiam ecclesiasticam, (ea quoque saeculi praesentis parte quam viui attingimus inclusa) absoluit, vna cum theologia morali. Per menses aestiuos, theologiam *dogmaticam* in suum vel aliud quodcunque compendium, praeleget. Theologiam *moralem*, quae *pastoralem*, & *catechetica*, (suo in compendio) complectitur, pariter tradet. *Casuisticam* ad *Pfaffianum* compendium offert. Horas X-XI. XI-XII. ante merid. & IV-V. post meridiem destinat.

D. IOHANNES GEORGIUS BECHTOLD. b. HEILMANNI theologiam dogmaticam hora VII. & X. Ven. ERNESTI interpretem N. T. hora VIII. Ven. WALCHII breuiarium theol. symbol. hora VIII. diebus Mercurii & Saturni praeleget, ad disputationes academicas tam publicas, quam privatas paratus.

D. LVDOVICVS BENIAMIN OUVRIER. Hora VIII - IX. Singulis diebus, excepto die Saturni Historiam ecclesiast. V. T. & Chronologiam Sacram ad Spanhemii Compendium tradet, dubiisque in V. T. obuiis remouendis & Antiquitatibus iudaicis explicandis operam dabit. Hora X - XI. Theologiam moralem ad ductum Lessii docebit, diebus Lunae, Martis, Iouis & Veneris. Eadem hora diebus Mercurii & Saturni praecepta tradet homiletica, cum quibus textuum epistolicorum explicationem & exercitium concionandi coniunget.

D. IOANN MICHAEL LOBSTEIN. Singulis diebus, festis exceptis, hora octava matutina Theologiam Moralem praeunte Lessio; hora nona Historiam Ecclesiasticam, iuncta Patristica, ad ductum compendii *Moshemiani*; hora vndecima Theologiam Dogmaticam ad ductum compendii *Heilmanniani*, vt honestis Dn. Auditorum desiderijs satisfaciatur, priuatim docebit. Diebus Lunae, Mercurii atque Veneris, *idiomate Gallico* veritatem R. C. ad ductum compendii *Noesseltiani* praeleget publice. Singula vero compendia intra semestre spatium ad finem perducet.

LECTIONES IURIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH Hor. XI - XII. commentabitur ad HEINECCII *Elementa iuris civilis secundum ordinem Institutionum*. Hor. II - III. *Principia iuris criminalis* ex compendii sui quarta editione tradet. Nec deerit quoque iis, qui Hor. III - IV. Praelectiones *iuris canonici* in compendium G. L. BOEHMERI desiderabunt. Hor. X - XI. SCHMIDII Libellum de *actionibus* exponet. Has praelectiones sexies per hebdomadem habebit, excepto collegio iuris criminalis, quod quinques instituet, die enim *Saturni* hor. II - III. *Disputationes iuridicas*, siue publicas, siue priuatas, moderabitur.

D. CHRISTIAN. HARTM. SAMVEL GATZERT Hor. VII - VIII. *Ius feudale* ad *Boehmeri* Principia; hor. VIII - IX. *Ius I. R. G. publicum* duce *Püttero*; hor. XI - XII. *Ius Germanicum priuatum* ex *Elementis Selchouianis* sueto more sexies per hebdomada tradet, bis *Ius Cambiale* rogatus exponet, ad scholas quoque *practicas artis diplomaticae* volentibus aperiendas paratus.

D. LV.

D. LVDOV. IVL. FRID. HOEPFNER, *Antiquitates iuris* ex suo compendio hora III - IV. bis per septimanam; *historiam iuris literariam* duce *Nettelbladtio* hora III - IV. quater; *historiam iuris* praeunte *Selchouio* hora II - III. die lunae, Martis, Mercurii & Veneris, *Pandectas* XIV. horis ex *Boehnero* hor. IX - X. XI - XII. & die Mercurii atque Saturni praeterea hor. II - III. tradet.

HELVICVS BERNHARDVS IAVP, *Historiam imperii R. G.* hora X. - XI. quinque de hebdomade, sexies hora VIII. - IX. *ius publicum German.* docebit. Hora II. - III. diebus Martis & Iouis *ius priuatum principum*, reliquis diebus eadem hora *processum summor. imp. tribunal.* exponet. PITTERI libellis pro more vtetur. Praeterea *encyclopaediam & methodologiam iur.* ex SCHOTTIO tradet diebus Mercur. & Saturni hora I. - II.

LECTIONES MEDICAE.

D. IOAN. WILH. BAVMER, *Med. Prof. primar.* Hora VIII. Politiam & Iuris prudentiam medicas, illam ad proprias, iam typis excusas, has ad Ludwigianas institutiones, tradet. Hora IX. diebus $\text{D. } \text{C. } \text{Z. } \text{Q.}$ Naturalem regni mineralis historiam; ad sua praecepta, sub titulo der Naturgeschichte des Mineralreichs edita, enarrabit; subiecta huc spectantia oculis subiiciet, primasque Physicae subterraneae lineas simul ducet. Eadem hora diebus $\text{G} \text{ \& } \text{H}$ diaeticam a se dictam explanabit. Hora X. collegium pathologico practicum, clementissimo SERENISSIMO PRINCIPIS iussu publice habendum, iterum aperiet. Hor. XI. Pathologiam ac Therapiam speciales, duce Cel. Dn. Plattnero in methodo medendi singulis morbis applicata de nouo auspicabitur.

FRID. AVG. CARTHEVSER, *Med. Prof. ord.* Hor. IX. - X. diebus Lunae, Martis, Iouis & Veneris plantas, quae in horto academico vltuntur, substrato systemate Linnaeano, demonstrabit. Hor. XI. - XII. diebus Mercurii Collegium methodologicum, in quo partes scientiae salutaris eamque addiscendi methodus breuiter explicantur, instituet. Diebus Saturni Excursionem botanicas in agrum vicinum & loca finitima suscipiet.

D. CHRISTOPH. LVDOV. NEBEL, *Medic. Chirurgiae atque artis obstetric. P. P. O.* Chirurgiam in Platneri Institutiones denuo auspicabitur & hoc semestri absoluet. Steinii Compendium in artem obstetricandi a capite ad calcem explanabit. Priorem hora IX - X. alteram III - IV. Materiam medicam, duce Cel. Spielmanno, & Chemicam, praeunte Cel. Io. Fr. Cartheusero, horis auditoribus commodis offert.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ, *Med. Prof. P. Ord.* Per semestre aestiuum singulis diebus, hora IV - V. Physiologiam, duce Hallero, explicabit. Anatomiam vero theoreticam, exceptis Mercurii & Saturni diebus, hora XI - XII. praeunte Cel. Plenckio, docebit. Ad Examinatorium quoque Collegium in Anatomie & Physiologia, singulis Mercurii diebus hor. II - III. instituendum, paratissimus erit.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM, *Log. Metaph. & Mathem. P. P. O. Bibliothecae acad. Praef.* Consuetis temporibus scilicet diebus $\text{D, } \text{C, } \text{Z} \text{ \& } \text{Q}$ hora VII. matutina logicam, iisdem diebus h. VIII. atque diebus $\text{G} \text{ \& } \text{H}$ h. VII & VIII *mer.aphysicam* ad ductum compendiorum à se editorum, h. I. *geographiam mathematicam, chronologiam, gnomonicam, pyrotechniam atque utramque architecturam*, h. II. *arithmetica, geometriam & trigonometriam*, secundum b. WOLFFII Auszug aus den Anfangsgründen der Mathematischen Wissenschaften singulis diebus excepto die H , quo publicas bibliothecas aperiet, exponet.

FRID.

FRID. AVG. CARTHEVSER, *Physices Prof. ord.* Elementa Physices hor. VIII. - IX. ad sua dictata exponet & potiora huius scientiae dogmata experimentis illustrabit.

IOH. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ, *LL. Or. P. P. O.* Matthaeum & Marcum ex recensione GRIESBACHIANA d. Lun. Mart. Iou. & Vener. hor. IX - X. Psalmorum libros quatuor posteriores hor. XI - XII. grammaticae & philologice interpretabitur. Historiam Ecclesiasticam N. T. ex WALCHIO tradet hor. III - IV. Linguam anglicanam pro more docebit publice h. I - II. d. Merc. & Saturn.

D. CHRISTIAN. HENRIC. SCHMID, *Prof. Poef. & Eloquentiae.* Hor. IV - V. Diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iouis, Veneris duce immortalis illo Heineccio, viam ad acuendum pulchri iudicium atque adipiscendam orationis elegantiam aperiet, eadem hora die Saturni exercitia stili quaecunque, quae ipsi offerentur, corrigere atque emendare pollicetur. Hora V - VI. per omnes quoque & singulos hebdomadis dies *Encyclopaediam omnium scientiarum* e Sulzero iterum tradet. Denique desiderii multorum satisfacturus Hora I - II. Diebus Lunae, Martis, Iouis & Veneris sex prioris *Aeneidos Virgilianae* libros illustrabit.

ERICVS CHRISTIANVS KLEVESAHL, *Moral. Iur. Nat. & Gent. P. P. O.* Hora IX - X. *Ius Naturae & Gentium*, DARIESIO duce; Hor. III - IV. *Disciplinam moralem*, Philosophia practica vniuersali praemissa, Hor. VII - VIII. Mercurii & Saturni diebus, *Ius Ecclesiasticum vniuersale* tam-publicum, quam priuatum docebit, cumque in horis ab indicatis diuersis ad praelectiones in *Theologiam catechetica*, in *nostrae religionis dogmatum historiam* habendas & ad *Collegia disputatoria & examinatoria* instituenda Auditores habebunt paratissimum.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER, *Hist. Polit. & Sc. Cam. P. P. O.* *Historiam Statuum Europae* hora VIII. *Historiam Vniuersalem* hora IX. vtramque ad Compendia propria docebit priuatim singulis hebdomadis diebus. *Scientias Camerales* iisdem diebus hora XI. ad Compendium Fabricii, & *Historiam Imperii Germanici* ad Compendium Selchouii hora III. tractabit. Praelectiones offert in *Heraldicam*, quibus duas horas destinat ab Auditoribus eligendas, ad Compendium Gattereri. *Starificam* ad Compendium Baumanni publice docebit die Lunae & Iouis hora IV. Reliquas hebdomadis horas Praelectionibus in *Politica* Achenwalli destinavit.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

IOANN. CHRISTIAN. DIETZ, *SS. Theol. Profess. extraord.* Collegium exegeticum in diu. Pauli ad Titum epistolam hora II. pomeridiana aperiet, ita quidem, vt singulis pericopis dispositiones homileticas subiungat. Praeterea hora III. veteris Graeciae Scriptorem explicabit, fundamenta linguae illius, sacrarum litterarum studiosis apprime necessaria folleter traditurus. Hebraica etiam desiderantibus haud negabit.

IO. WOLFG. CONRAD. LINCK, *Ph. D. & P. P. E.* Hor. III. *Grammaticam hebraicam* ex schedis suis, vna cum *cursoria selectorum S. C. locorum interpretatione*, sexies per hebdomadem, profitebitur. Hor. X. *Lucae euangelium*; hor. XI. *Psalmorum* libros II. priores; hor. IV. *Philosophiam moralem* ex thesibus propriis, sex per septimanam diebus explicabit. *Antiquitates hebraicas* ad Brüningsium offert.

Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de *luculenta equitandi, pugnandi gladio saltandique palaestra*, *Gallicae* item & *Italicae* linguae scholis, per magistros earum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.
